

in Ariete, uel Leone, facit magnos dominos, dat regnum, & dominium magnum, iuxta conditionem genealogiæ nati, dat diuitias eximias, honorem altum, & magnum nomen ex suo exercitio, & magisterio. Et si fuerit pauper, natus de obscuris parentibus, facit magnum uirum, diuitem & potentem, ultra suam conditionem.

Venus, significat honorem magnum, & amorem à regibus, & alijs potentibus, amabitur ab eis, & consequetur gratiam, aut aliquod bonum ab eis, habebit lætitiā per magnos dominos, & principes aut reges, acquirat diuitias ab illis, erit plus honoratus quàm ipse merebitur in sua conditione, mater erit honesta, longæ uitæ, & multum honorata.

Mercurius, significat natum futurum cancellarium regis, principis, aut saltem aliquem ex consiliarijs eius, negociabitur, & tractabit apud principes secreta plurima, unde Secretarius regis, aut principis erit, habebit bonam fortunam in scripturis, mercaturis, Arithmetica, Geometria, & Astrologia, & erit laudatus propter uirtutes suas ab omnibus in mundo. Si fuerit infortunatus cum Marte, in suo fine erit infelix, & pessimus.

Luna, multiplicat honores, dat utilitatem ex magnis principibus, & dominis, etiam à populis, acquirat quæ desiderabit, ac habebit multos filios.

Caput facit deuotum, & magnum principem, uel dominum, ex suo magisterio acquirat honorem, & famam ac lucrum, erit longæ ac honestæ uitæ.

Cauda in decima existente, natus deponetur ab officio, cadet ab alto, mater eius erit infortunata, & breuis uitæ.

De undecima domo.

Saturnus in undecima, non in domicilio uel exaltatione sua, significat damnum ex amicis, uel amissionem amicorum, & dat amicitiam cum uilanis, Iudæis, & fratribus, habebit fastidium propter amicos, aut non habebit aliquem unquam, & nunquam habebit illum quem desiderat, quoniā eius negocia erunt ut plurimum uana, significat etiam multum moerorem in amicis. Si Saturnus fuerit in domicilio, uel exaltatione sua. Dat amicitiam cum Saturninis, sicut sunt magni uiri, maxime senes.

Iuppiter, significat nato multitudinem fortunarum & prosperitatem, & quod rerum sperandarum prosperum, & fortunatum cōsequetur effectum, dat etiam multos bonos, fideles, & utiles amicos, multos filios, & primus erit masculus, habebit bonum finem de rebus desideratis.

Mars extra domicilium, uel exaltationem suam, significat paucitatem fortunæ, & quod spes, & fiducia nati destruetur, & dat inimicitias cum amicis. Si autem fuerit in domicilio, aut exaltatione sua, facit hominem amicum dominis, armigeris, & militibus, habebit honorem, & utilitatem in armis, significat etiam quod talis natus parum fideliter, concorditerque cum domino suo sit uicturus.

Sol, significat spem, & fiduciam bonam in rebus pertinentibus, ad honores, ac dignitates, & perfectionem officiorum, dat amicitiam magnorum dominorum, & magnum gaudium per amicos ditissimos, & per filios, & seruitores, & ingenium in hominibus.

Venus significat fortunam, spem, & fiduciam bonam in rebus, & quod spem suam consequetur sine perditione, dat amicitiam amicorum nobilium, & bonam fortunam cum illis, habebit multos filios, spes eius non erit uana, sed pro maiori parte obtinebit suum propositum.

Mercurius, significat fortunam in spe & fiducia in perdiscendis scientijs, doctrinis